

**CARMINIS DE DEO, QVOD DRACONTIVS SCRIPSIT,
LIBRVM ALTERVM**

EX CODICE REHDIGERANO EMENDAVIT AC SVPPLEVVIT

C. E. GLAESER.

Cum ante hos quattuor annos in Progr. Gymnasii nostri a. 1843 divulgato de Dracontio deque carminibus eius eorumque codicibus manu scriptis a me disputatum sit, pauca sunt, quae praefationis loco nunc habeo dicenda. Neque enim animus est, conquiri de incommodis et difficultatibus, quibus in retractando hoc carmine paene obrutus sum; contra non sine gaudio ante aliquot annos ex *Welckeri* et *Ritscheli* VV. DD. *Museo Rhenano* (1842 p. 303. sq.) comperi, Bruxellis asservari Dracontii codicem ms. qui libros *De Deo* contineat. Hunc codicem Oehler V. D. in usum suum descripsit, ratus, partem eius carminis multo maiorem nondum editam esse. Sed post Oehlerii praematuram mortem tota eius supellex litteraria, quam sibi undequaque comparauerat, ad illius fratrem iure hereditario concessit, apud quem thesauri illi in Heluetiorum oppido, cui nomen est Aarau, iacendo delitescunt. Quanquam autem admodum optabam, ut Oehlerii Apographon (ipsius enim cd. copia mihi certe uix unquam fiet) in usum uocare possem, tamen hoc mihi non contigit, licet opera data; quae cur irrita fuerit, equidem plane ignoro. Itaque in eo subsidio, quod in hac urbe exstat, mihi fuit acquiescendum, *codicem* dico *Rehdigeranum*, qui quamuis multis locis longe melior sit *codice Vaticano*, ex quo *Arevalus* hoc carmen primum integrum edidit, tamen non ita raro aequae atque ille cd. Vatic. deprauatus est misereque deturpatus. Vnde factum est, ut iterum iterumque me pigeret operae in pertractando hoc carmine collocatae, non quia minus dignum id putabam, quod pro ingenii facultate emendarem, sed quod pauculos tantum ex plurimis, qui pessime habiti sunt, uersibus reuera emendare possem. Restat, ut adiiciam, in adnotationibus *A.* significare *Arevalum*, *V* codicem Vaticanum, *R* codicem Rhedigeranum.